



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XVIII. Ordinis Carmelitarum origo, & progressus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

cidit: ex quo anno ætatis trigesimo tertio breui migravit ad sponsum.

Cuius cor ingens, multis inspectantibus diuisum, mysteria Dominicæ Passionis continere repertum est. Illud etiam mirum, tres cordis globulos seu pillulas tantum ponderis habere, quantum habent singulæ. Adhuc uiuens, monialem defunctam suscitauit. Ita Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ex eius vita Bononiæ anno 1601. edita.

CAPVT XVIII.

Ordinis Carmelitarum origo ac progressus.

ORdinem Carmelitarum in monte Carmelo *Elias & Eliseus* Prophetæ primùm inchoarunt; *Albertus* Patriarcha Ierosolymitanus, cùm Europæi Terram sanctam occupassent, vitæ regulam temperauit; Beata demum *Teresia*, Virgo Hispana, ad primæuum rigorem ac disciplinam nostra ætate reuocauit.

Carmelitas porrò primus ex Syria in Europam transfexit *S. Ludouicus IX.* Rex Galliæ, qui eisdem Lutetiæ monasterium excitauit.

Vt res tota fiat clarior, habe quæ eleganter & breuiter de huius ordinis initijs ac progressibus tradit *Ioannes à Iesu Maria*, Calaguri-

guritanus, in Vita B. Terefiæ.

S. Hiero.
ad Pauli-
num Io.
Cassian.
lib. 1. c. 2.
& alij.

Genebr.
l. 4. chro-
nolog. an.
5268.
Baro ad
Martyr.
Rom. 20.
Iulij.

Trithemius de
laudibus
Carme-
lit. c. 3.

Anno, inquit, ante Christi ortum circiter nongentesimo tricesimo *Elias* Propheta clarissimus in Carmelo Syriæ monte, quem cultu suo fecit insignem, prima instituti monastici fundamenta iecit: quæ grauíssimorum Patrum consensus est. Postquam enim, Dei iussu, primogenitum suum *Eliseum*. ex agricultura euocatum sibi sociavit, plurimos alios diuinum & à fluxis mundi curis exemptum vitæ genus affertantes (quos Filios Prophetarum appellatos Scriptura sacra demonstrat) collegio illi sacro adscripsit. Nec Palæstinæ Syriæve tantum finibus sacra hæc institutio circūscripta est: in Aegyptū enim, temporis excursu, lectissimæ gētis coloniæ, quos *Essenos* nuncupabant, deductæ sunt, vt Eliæ imitatione Alexandria quoque claresceret. Quidquid enim Orientis Austriq̃e præsci Patres, quorum stemmate monachorum familiæ g'oriantur, tradidere; quidquid etiam ab Oriente in Occidentem exstat inuectum, non minima ex parte institutionis Eliæ quadam expolitio, & ad nationes diuersas coaptatio est: siue contemplationis studium, siue solitudinem, siue austeritatem vitæ, siue paupertatem velimus expendere. Omnia quippe capita hæc in cœnobijs laudatissima sic in illo Propheta resplenduerunt, vt Ioanni Baptistæ Christus laudi verterit, imaginem Eliæ ipsum ad viuum expressisse: qua-

qua-

quasi animi erectio, eremus, asperitas, casti-
monia, inopia, cæteræque instituti monastici
notæ, quibus Ioannes claruit, totidem Eliæ
dotibus harmonicè consentirent.

Ioannes

à Iesu

Maria

Calagu-

ritanus

in vita B.

Teresia

l. 1. c. 2.

Filij porro Prophetarum, quos dixi, at-
que Esseni Palestinam incolentes (quemad-
modum & Esseni postea in Aegyptum tra-
ducti) miris exemplis cæptam institutionem
vsque ad Virginis partum produxerunt. Cùm
itaque diuinis rebus homines addicti in Car-
melo, quod in Oriente tres illi Magi, Balaam
posteri, modis licèt diuersis, molirentur, vt
scilicet Deo intentissimè vacarent, mox vt
Christi splendor illuxit, bene comparati E-
uangelicæ veritatis studium arripuerunt, &
vnà cum Apostolis in opus prædicationis in-
cubuerunt. Cui fidem adstruit sacellū, quod
in beatissimæ Virginis honorem ab ipsis ex-
citatum auctores nonnulli prodiderunt.

Arma-

chanus

in ser. de

Concept.

Io. Iero-

sol. c. 31.

ep. 38.

Polyd.

lib. 7. c. 3.

Nec sanè decuit Prophetæ tanti posteritatem
ignauia torpescere, cùm densas orbis terra-
rum tenebras lux noua discuteret. Strenuam
ergo primæ Christi sementi, & Virginis
laudi cùm Eliæ posteri operam nauarent,
illustre cognomentum adepti sunt, vt Virgi-
nis Fra res appellarentur. Quem sanè hono-
rificum titulum clementissima Regina &
visis & miraculis propugnauit, multisque a-
lijs prærogatiuis gentem auxit: quas inter su-
perhumeralis seu scapulare, temporis processu,
B. Simoni Stocquio Anglo donatum mi-

Io. Hie-

rosol. de

institut.

monach.

6. 36.

rificè elucet. Noua igitur Christi agmina, religionis orthodoxæ zelo validiùs instructa, Virginis auxilio rem feliciter gesserunt: & Carmelus, cœlestibus iam viris quàm plantis fœcundior, cœpit animos excelsos procreare: atque in hunc modum ad annum à Christo nato quadringentesimum perdurauit.

Creuerat mirum in modum sacra Virginis familia, quam scriptis iam legibus temperari opus erat: quamobrem Ioannes *Circa an.* XLIV. Ierosolymitanus Patriarcha (vt quidam volunt) siue alius regulas quasdam de *400.* Scripturæ sacræ consilijs, & veterum Patrum documentis contextas ei præscripsit. Series

verò longa annorum sub ijs regulis excurrit, & ad annum vsque sexcentesimo numero *An. 600* rosa proles feliciter excreuit: at postea persecutionibus grauissimis Ecclesiæ hostium exagitata, in patrio monte, quò se velut in asy-

lum receperat, ad octingentesimum vsque *An. 800* annum perseuerauit. Post eum verò annum Pontifices Romani (à Leone illo, qui Pontificatum *Anno* 1000. XLVIII. gessit vsque ad Gregorium VII.) statum rerum aduersarum commiserati gentem afflictam priuilegijs augere *1078.* perrexerunt.

Verùm interlapsis annis aliquot, *Anno* *1120.* Aimericus Lemouicensis, Antiochenus Patriarcha, & Apostolicæ Sedis in Oriente Legatus, institutum Eliæ penè collapsum conspicatus, deie-

deiectos animos attollere studuit, & Carmeli incolas atque eremitas ad communem vitæ rationem, Latinorum monachorum moribus consentaneam, adduxit. Post annos autem aliquot Beatus *Albertus* Ierosolymorum Patriarcha breuem quandam regulam compendio & persecutione laudatam ipsis dictauit. Ceterum posteritas à calore primo, vt fieri solet, paullatim deserbu-
 it, & excursu temporis ab Innocentio IV. ^{Anno}
 Pont. Max. mitigationem impetrauit. Nec ^{1248.}
 tamen (quæ hominum imbecillitas est) postea conquieuit, sed post exactos annos paulò minùs ducentos ab Eugenio IV. regulam ^{1431.}
 rursus leniri curauit, quæ vsque ad nouissimam reformationem à *B. Teresa* cœptam prolata est. Anno igitur millesimo quin-^{1562.}
 gentesimo sexagesimo secundo sanctissima virgo *Teresa* regulam Alberti ab Innocentio modicè temperatam, & sub ipso temperamento pro primitiua habitam, tam cupidè amplexata est, vt primæuam illam obseruationem, quæ Innocentij mitigationem antecessit, si non superarit, certè æquarit; & ad sui æmulationem duos primùm Patres & sanctitate & doctrinâ conspicuos, atque alios deinde innumerabiles, deposita Eugeni mitigatione, pertraxerit. Ceterum reformata hæc Congregatio plurimos vtriusque sexus homines, vitæ morumque sanctitate illustres, orbi dedit. Ducem suam *B. Teresiam*

æmulata est in primis B. *Catharina de Cardona*,
 è stirpe Cardonensium in Hispania Ducum
 prognata, quæ multis miraculis sacrisque
 visionibus clara, anno 1577. viuere de-
 sijt. Beata item *Catharina à Christo*, cuius
 anno 1598. defunctæ, & Pompelone in reg-
 no Nauarræ sepultæ vitam scripsit Leonora
 à Misericordia, illius fodalit: insuper *Bea-
 trix ab Incarnatione*, monialis Vallisoleta-
 na; *Catharina à Iesu*, monasticen in opido
 Veas prouinciæ Bœticæ professa, & alia
 plurimæ suo loco à nobis celebrandæ. Viros
 inter agmen ducat B. *Ioannes à Cruce*, pa-
 tria Methimnensis, qui dæmonibus, vt alter
 æui nostri *Basilius*, formidolosus semper ex-
 stitit. Hunc sequantur P. *Augustinus à Re-
 gibus*, Astigientis, Hispanus; P. *Franciscus*
 cognomento *Indignus*, qui in Congensi Aethi-
 opum regno quàm plurimos Christi castros
 adscripsit; F. *Franciscus à puero Iesu*, cogno-
 memento *Rusticus*, laicus quidem, vt loquun-
 tur, sed ob miram sanctitatis opinionem à Cle-
 mente VIII. Pont. Max. & à Philippo II.
 Rege Catholico, eiusque filio Philippo III.
 in veneratione habitus; F. *Benedictus à Ie-
 su & B. Virgine*, Catalaunus, Pastranz
 conditus; P. *Petrus à Matre Dei*, Darocen-
 sis, Hispanus, primus Italicæ Congregatio-
 nis Præpositus Generalis: qui Clementi
 VIII. Leoni XI. & Paulo V. summis ex
 ordine Pontificibus à sacris fuit concionibus

*Obijt an.
 1608.
 Roma.*

bus, quoque vix aliquis Romæ sanctior eo tempore reperiri posse credebatur, vt Baronius Annalium tomo XII. in rebus gestis anni 1187. prædicat. Item P. Franciscus à SS. Sacramento, Hispanus, Neapoli in Italia an. 1609. defunctus; P. Iacobus Mediolanensis, Italus; F. Andreas Burgenfis, laicus; P. Antonius à Cruce, Darocensis; F. Didacus à Iesu, cognomento Silentarius, Segobiensis; & F. Bartholomæus laicus, qui in Nauarræ opido Tudela an. 1606. diem clausit extremum. Omitto P. Antonium à Iesu, qui primus nouæ huic reformationi præfuit; P. Nicolaum à Iesu Maria Genuensem, totius ordinis Generalé; P. Gregorium Nazianzenum, P. Marianum à S. Benedicto, Italum; P. Ioanné Baptistam; P. Dominicum à Præsentatione; P. Ioannem à Iesu Maria, Pastranensem, omnes instituti eiusdè Prouinciales; P. Ioannem à Simone, Cantabrum; P. Emanuelem à Matre Dei, Biacensé; F. Didacum à Iesu, coquum Vallisoletanum, aliosque innumerabiles, alibi pleniùs à nobis laudandos.

CAPVT XIX.

De duplici Congregatione Carmelitarum Discalceatorum.

PRÆTER veterum Carmelitarum, quos Mitigatos vocant, Congregationem tota Euro-